

I 2 W

L 6 0 5

✓ 00/5

ark. M. 396.

Gesner, Sal. Belg. disputationes

—(40) Hoe, m.

K. IV. 31.

Rupertus Niesnig acceptil  
Jacobo Tappio.

confit. 1. 13. 7.



39. 3

DISPUTATIO III  
CONTRA CON-  
CILIVM TRIDENTINVM,  
ex ejusdem examine, per Dn. D. Martinum  
Chemnicum scripto, quatuor  
capitum:

- I. *Descriptura Novii Testamenti;*
- II. *De scriptis Evangelistarum;*
- III. *De scriptis & Epistolis Apostolorum;*
- IV. *Testimonia veteris Ecclesiae de scriptura;*

quam privata συζήτησι excutiendam  
sub præsidio

SALO MONIS GESNERI

S. S. Theologiae Doctoris & profess. in  
Academia VVittebergens. pub.  
proponit

M. I A C O B V S R H O D I V S  
Kembergensis.

Anno Christi: 602. die 23 Januarij.

V V I T E B E R G A E,  
Typis VVolfgangi Meisneri.



40



# CAPUT PRIMVM.

De conficto à Pontificiis inter Vetus & Novum Testamentum discrimine.

## THESIS I.



A commemoratio de Origine & autoritate scripturarum Veteris Testamenti, quae superiori disputatione tradita est, perspicuitate suâ eo adigit adversarios Pontificios, ut, velint nolint, fateri & concedere cogantur, in scriptura Veteris Testamenti omnia, quae de Patriarcharum & Prophetarum doctrina Deus posteritati necessaria esse & sufficere judicavit, comprehensa esse.

### II,

Hoc itaq; dejecti præsidio, omnem impetum suæ sophistices in libros Novi Testamenti convertunt, & inter vetus novumq; Testamentum tale discriminem comminiscuntur, quod aiunt: in illo doctrinam cœlestem scripto comprehendendi & propagari debuisse; hujus autem proprietatem ab ipso Deo esse constitutam, ut nec in tabulis, nec in chartis, nec calamo, nec atramento, vel quovis alio modo in literas referretur, sed viva tantum voce animis auditorum commendaretur, & ita sine scripto conservatum, per manus posteritati traderetur.

### III.

Atq; hanc commentitiam differentiam duabus scripturæ testimoniis probare conantur: altero quidem Ier. 31, 33. & 34. Dabo legem meam in corda eorum, & in intimo eorum scribam eam: altero 2. Cor. 3, 3. Epistola nostra estis vos, scripta à nobis non atramento, sed spiritu Dei vivi. Hinc sequi opinantur, Christi & Apostolorum doctrinam ex Dei constitutione, non scribi, sed viva tantum propagari voce debuisse.

### IV.

Sed peregrinum hoc modo utriq; dicto affingi sensum: Contraria, primò, Apostolorum praxis ostendit. Si enim ita constituit Deus, cur quæsò, Apostoli, qui spiritu Dei ducebantur, scriperunt? Si Ieremia

sententiâ prohibitum fuit, in Novo T. literarum adminiculo doctrinam tradere, cur autor Epistolæ ad Hebræos in media scriptione, c. 8, 8. & c. 10. eam ipsam adducens, calamū nō illicè manibus abiicit, & se contra Domini sanctionem scriptum concinnare testatur. GB.1.103.9

## V.

Paulus vero, cum illud 2. Cor. 3. de viua Epistola Corinthiorum cordibus impressa ederet, jamdudum priorem ad Corinthios, & utramq; ad Thessalonicenses promulgaverat.

## VI.

Deniq; si ista Pauli mens erat descriptione N.T. prorsus omitenda, eur hoc ipsum scripto potius, quam viua voce Corinthiis tradere voleuit? annon sibi ipsi contrarius esset, scriptionem verbo prohibens, facta usurpanas?

## VII.

Verum ad hæc Pontificij regerunt, non hoc se velle, nihil omnino scribi testimonio Ieremie et Pauli præceptum esse: sed scribenda quidem fuisse aliqua: pleraq; tamen absq; scripto viua voce propagari debuisse. Videndum itaq; jam est, num hoc velit Ieremias et Paulus, legem Novi T. (sic enim illi loquuntur) partim in chartis, partim in cordibus scribendam fuisse.

## VIII.

Verum huic quoq; sophismati quod solide opponatur, in promptu est Ieremias enim absq; ulla partitione Veteri Testamento tribuit, quod totum tabulis lapideis fuerit inscriptum: Novo, quod similiter totum cordibus per Spiritum sanctum imprimi debeat. Eodemq; modo Paulus 2. Cor. 3. non ait, Corinthios suam esse epistolam partim atramento, partim spiritu scriptam, sed simpliciter atramento scriptam negat, & spiritus consecratam affirmat.

## IX.

Vnde necessario conficitur: Si Ieremias et Paulus de modo et medio propagandi doctrinam Veteris et N. T. loquuntur, ut placet adversariis, quod citra omnem partitionem dicendum sit, vetus Testamentum posteritati transmitti oportuisse εγγάφως, in tabulis, atramento, papyro et chartis: Novum εγγάφως, sine istarum rerum adminiculo. Hic autem obstat Apostolorum contraria praxis, qui et spiritum Dei habuerunt, et Ieremie sententiam, Dei voluntatem abundè intellexerunt.

10. L

## X.

Et porro hoc ipsum temporum quoq; observatione refellitur. Nam à condito mundo usq; ad exitum populi ex Aegypto scriptamq; Dei digito legem, anni numerantur 2454: à legis promulgatione usq; ad Christi adventum anni 338. Hunc posteriorem numerum si ab illo priore subtrahas, restabunt anni 916. Annis proinde totis nongentis secundum Ecclesia Veteris Testimonia absq; scripture, quād mediante scripture, doctrinam cœlestem docuit, didicit, propagauit. Viderint jam Iesuitæ, quomodo ætati ante Christi incarnationem conveniat illud à se excogitatum idiomata, quod tunc per scripturam homines erudiri debuerint.

## XI.

Christi vero, & Apostolorum doctrina cœpit scriptis comprehendendi, cum ne per 20. quidem totos annos ἀγράφως, sine scripto, sola voce tradita fuisset. Indicent ergo, quomodo temporibus Christi exhibiti conveniat, quod fingunt, visum esse Deo ἀγράφως, non ἐγγράφως, Evangelium doceri.

## XII.

Si Vetus Testamentum intelligunt de doctrina legis in Decalogo comprehensa, & in monte Sina promulgata, quid respondebant ad istud, quod eadem doctrina sine scripture à Patriarchis ante & post diluvium inculcata, àq; Deo ipso manifestis visionibus confirmata fuit & commentata?

## XIII.

Quid ad istud, quod gentibus, quæ scripture Mosis & Prophetarum caruerunt, opus legis in corda impressum in scriptumq; fuit? Rom. 2,15.

## XIV.

Quād verò ridiculum est, fingere, vel Ieremiām, vel Paulum de re gravissima, de discrimine nimirū legis & Evangelij differentes, in frivola ista à Pontificiis excogitata differentia negotij cardinem nervumq; constituere, quasi opus olim fuisse atramento & papyro ad doctrinæ conservationem, hodiè non opus esse contenderent!

## LV.

Quin potius Ieremiæ mentem ex Augustino accipimus, qui sic illam interpretatur in libro de Spiritu & Litera c. 25. Propheta Ierem. 31. non luit alias differentias Veteris & Novi Testamenti inculcare, quales erant: quod in Veteri fuerunt umbræ sacrificiorum, quæ in Novo sunt impletæ: sed tantummodo istam commendavit distantiam, quod in No-

ad T. Deus leges suas daturus esset in mentes eorum, qui pertinereunt ad hoc testamentum. Vnde haec apparet distantia Veteris & N. Testamenti, quod lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribitur: quod ibi fornicatus terret, hic delectat intrinsecus: ibique fiat prævaricator per occidentem literam, hic dilector per vivificantem spiritum.

## XVI.

Pauli vero sententiam ita reddit Augustinus eodem lib. c. 21. Quid sunt ergo leges Dei ab ipso Deo scriptae in cordibus, nisi ipsa præsentia spiritus sancti, qui est digitus Dei, quo præsente diffunditur caritas in cordibus nostris? &c. Vnde Paulus 2. Cor. 3. significavit, eos non fornicatus terrentem legem formidaturos, sed intrinsecus habitantem ipsam legis iustitiam dilecturos. Et cap. 26. Prophetico concordet etiam Apostolicum, ut hoc sit pertinere ad Testamentum Novum, legem Dei non habere in tabulis, sed in cordibus scriptam, hoc est, in intimo affectu justiciam legis amplecti, ut fides per dilectionem operatur, quia ex fide justificat gentes Deus.

## XVII.

*Vetus Testamen-  
tum.* Verum proinde Veteris & N. T. discriminem, ex Ieremiæ & Pauli sententia, non hoc est, quod illud scribi, hoc non scribi debuerit: sed hoc potius, quod Vetus T. quoniam doctrina mandatorum est, & extra hominem, ut Ieremias ait, scripta in tabulis & chartis, fornicatus saltem docet, quid Deus a nobis præstari velit, & eos damnat, qui perfectam obedienciam non præstant: Virtutem tamen obediendi (qua omnes propter lapsum caremus, tametsi opus legis sit inscriptum in cordibus nostris, ut sciamus, quid Deus a nobis requirat) non subministrat, sed manet litera exterius scripta, cum ei impossibile sit corda renovare ad interiorem obedienciam.

## XVII.

*Novum Testamen-  
tum.* Novum autem Testamentum doctrina est offerens omnibus hominibus promissionem gratiae propter filium Dei, Mediatorem, cum qua simul exhibetur spiritus sanctus: quam ob causam non manet talis scripta litera extra hominem, sicut lex, sed ab eodem spiritu, ministerio externo verbi vel vita voce sonantis, vel scripti, in corda scribitur, unde voluntas & cor regeneratur, & mens illuminatur, ut ita illuminati promissionem de Messia ex fide vera amplectantur, & filii Dei efficiantur, Ioh. 1, 13. Legis quoque doctrinam spiritus sanctus in corda renatorum scribit, ut secundum interiorem hominem lege Dei delectentur. Rom. 7, 21. & ex animo incipient obtemperare. Rom. 6, 6.

19. Eadem

## XIX.

Eadem Pauli est sententia: Non enim negat; doctrinam Evangelij esse, quam atramento, chartis in epistola tunc & antea commendaverat: neq; negat, quia sine scripto verbo conversi erant Corinthij, scriptum iam verbum quoq; Spiritus sancti organum esse, ad convertendos homines: sed hoc agit, Corinthios, qui nova creatura facti, lege Dei delabuntur, & ex animo eidem obediunt, esse Christi epistolam, non atramento exterius, sine interiori renovatione scriptam, quoad literam occidentem: Verum in ipso corde, non viribus proprijs, sed spiritu Dei vii vi.

## XX.

Et hæc doctrina illa est, quam Christus tempore carnis suæ, & postea Apostoli, à Spiritu sancto in omnem veritatem ducti, in omnem terram omni creaturæ, primis aliquot annis ἐγάφως, tantum viva voce prædicaverunt: postea vero, ne organum Spiritus sancti adulteretur, aut prorsus interiret, ἐγάφως, sicut quoq; in Veteri Testamento factum, docuerunt & propagarunt.

## XXI.

Primos aliquot annos quando nominamus, hos Andradius a vidissima arripit, nihil curans, quid deinceps Apostoli fecerint, & tale contra scripturam Novi Testamenti cudit argumentum, quod tertium est Jesuitarum subsidium ad suam θεσμον obtinendam: Si primis annis virginis, Christi instituto, doctrina Evangelij fuit propagata absq; scripto. Ergo Apostoli non debuerunt scribere.

## XXII.

Verum, ut concedamus, Matthæum vigesimo demum anno post ascensionem Christi scripsisse, iuxta Irenæi supputationem non tamen annadvertisit Andradius præstrepita calculatorum, quod Paulus ad minimum sex epistolas, antequam Romam venit, quo tempore Matthæus scripsit, ut idem Irenæus annotat: duas nimirum ad Thessalonenses, priorem ad Timotheum, duas ad Corinthios, & ad Romanos unam, quibus Evangelij doctrina ante Evangelium Matthæi evulgata fuit.

## XXIII.

Ex hoc tamen non pugnabimus: habemus, quod opponere Andradio possumus, aliud. Dicit Andradius: Ecclesia sub initio Novi Testamenti caruit scripto Evangelio per 20. annos: dicimus nos: Ecclesia Veteris Testamenti caruit scripture per 2454. annos. Dicat ita iste si Talmudista

aut

ut Cabalista aliquis pro sua Cibala ita inferat: Ecclesia Veteris T. per annos 2454. caruit Verbo scripto: Ergo nunc quoq; eadem docendi ratio retineri debet: dicat, inquam, quid ei respondendum censeat. Et idem nos respondemus illi. Hasta autem illam, quam obijcit ex Ierem. 31. cap. antea ipsi extorsimus.

## XXIV.

Fumos proinde venditat Andradius, quando dicit, moram illam, quæ intercessit inter initium prædicationis, & initium scriptoris Apostolorum, argumentum certissimum fuisse, quod nihil ab Apostolis comprehendendi literis debuerit.

## XXV.

Vera autem causa illa fuit, quod non statim calamo uti voluerunt, quam Lucas c. 1, 1. assignat, ut scilicet ea, quæ scripturi erant, essent πεπληρωθόρημένα, certissimæ fidei signis & prodigijs contra calumnias & contradictiones Iudeorum ac gentium confirmata, & assensione credentium per totum mundum comprobata, ne quis dubitare demum de eorum certitudine & firmitate necessum haberet.

CAPVT II.  
DE CAVSIS SCRIPTI NOVI T. ET CVR  
Scripserint Evangelistæ.

## XXVI.

Cum iam ex præcedentibus manifestum sit, scriptoriam Novi Testamenti ex Dei constitutione prohibitam non fuisse: dehinc illud in questionem venit, quibus de causis, quo consilio & proposito singuli Evangelistæ & Apostoli scribere voluerint: & quo loco primitiva Ecclesia Orthodoxa scripta illa habuerit: quo expedito, apparebit, scripturam Novi T. non tantum necessariam fuisse, sed etiam, sicut tum temporis, ita hodièq; authenticam esse, & sufficientissimam, ut traditionibus ἀγαποῖς non sit opus in Ecclesia.

## XXVII.

Non immerito autem queritur initio in genere de tota Novi T. doctrina, quoniam nunc scriptam eam habemus, cur in chartis consignari Causæ scri- debuerit? Causam brevissimè & perspicue indicat Irenæus lib. 3. c. 1. pti. N. T. Sola vero & vivifica fides illa est, quam ab Apostolis Ecclesia percepit & distribuit filijs suis. Etenim Dominus omnium dedit

eis potestatem  
Evang.

Evangelij, per quos & veritatem h. e. doctrinam Evangelii cognovimus: quibus & dixit Dominus: qui vos audit, me audit, & qui vos contemnit, me contemnit, & eu qui misit me. Non enim per alios dispositionem salutis cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos. Quod quidem tum præconiaverunt: postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.

## XXVIII.

Quæ sententia prima loco indicat, qua autoritate Evangelium prædicatum prius vi-via voce, postmodum scripto comprehendenterint, nempe non humano consilio, sed per Dei voluntatem.

## XXIX.

Deinde Subjectum ostendit, quid scripserint: Doctrinam illam, quam a filio Dei acceperant, & ex qua vera primitiva Ecclesiæ fides accepta fuit, & filiis ejus distributa.

## XXX.

Objectum, quibus tradiderint: non Ecclesiis illis particularibus, quibus inscriptæ sunt Apostolorum epistolæ, in præsenti necessitate, sed Nobis quoq; Nobis ætatem ipsorum secuturis.

## XXXI.

Consilium & usum: ut id, quod in scripturis nobis tradiderunt, in fururum esset fundamentum & columna fidei nostræ, non in cerebro nostro natæ, sed ejus, quam accepit Ecclesia ab Apostolis, & distribuit filiis suis, ut eam inde, ex scripturis, discamus & concipiamus. conceptam inde quoq; confirmemus, & contra hereses propugnemus.

## XXXII.

Vnde è contrario liquet, fidem illam, quæ aliunde non ex scripturis Apostolorum nascitur & concipitur, non tam & adulterinam esse, non Apostolicam: ob quam causam Irenæus istos hereticos appellat, qui scriptis Apostolicis fidem suam detrahunt, & ex scripturis convicti, accusant vitissim, quasi non recte habeant, nec sint ex autoritate, & quia varie sunt dictæ, & quia non possit ex his veritas inveniri ab his, qui nesciant traditionem: non enim per literas traditam illam, sed per viuam vocem: sicut eos describit Irenæus c. 2.

## XXXIII.

Notis profectò planè iisdem, quibus hodiè nos describimus Jesuitas;

B

&amp; quas

Et quas illa ostendunt Andradij, dum inquit: non omnia, cum breue-  
duntaxat compendium extet doctrinæ Apostolicæ, esse literis mandata,  
sed maximam partem reservata traditionibus non scriptis & Concilijs,  
Tridentini decreta de traditionibus pari reverentia & pietatis affectus  
cum scripturis suscipienda & suspicienda.

## XXXIV.

Hæc breviter de tota scriptura Novi T. ex Irenæo annotata, admodum  
illustrabunt & confirmabunt ea, quæ jam de singulis Evangelistarum &  
Apostolorum libris proponentur.

## XXXV.

Et quidem si Irenæi sententiam lib. 2. cap. 3. recipimus, quam etiam  
Grigori scripsit libenter accipimus, quod Mattheus suum Evangelium vigesimo demum  
anno scripsit, cum Paulus jam Romæ vincitus fuit: extra controver-  
siam erit, nihil fuisse conscriptum ab Apostolis ante illam Epistolam,  
quam in primo & celeberrimo concilio Hierosolymitano Apostoli & se-  
niiores, re diligenter deliberata, communibus suffragiis ad Ecclesias en-  
gentibus collectas exararunt. Act. 15.

## XXXVI.

Etsi enim Theophylactus octavo anno & Nicephorus decimo quin-  
to: Mattheum scriptionem suam adornasse, prodiderunt: & quædam  
Christi Salvatoris nomine edita Epistola ad Abgerum Toparchen Edessenii  
apud Eusebium extat: tamen quia ipse Andradius Theophylacti suppu-  
bationem improbat, nec verisimile est, ipsum Epistolam apocrypham in  
Canonicis libris numeraturum, indicatam scripture novi T. originem  
primam agnoscimus.

## XXXVII.

Quæ origo satis magnifica & illustris est, origini veteris scripture  
non dissimilis. Etsi enim hanc Deus ipse suis digitis initia vit in monte  
Sina: hujus tamen etiam initium factum esse audimus non ab uno ali-  
quo Apostolorum, sed ab omnibus unanimiter congregatis, & quidem  
Hierosolymis, in Zion, unde lex quoq; exiavit.

## XXXVIII.

Ad quam dignitatem amplificandam pertinet, quod scripserunt non  
proprio instinctu, sed spiritus sancti suggestu: visum est spiritui San-  
cto, & nobis. Act. 15. 28.

Occasio-

49.

XXXIX.

Occasionem autem præbuerunt turbæ, quas in Ecclesiis excitavimus.  
Quidam ex Apostolis exeuntes, qui se Nazareos nominabant, & traditio-  
num Apostolicarum titulo adulterina dogmata supponebant; Act. 15. 24.

XL.

Istos igitur ut reprimerebant, & Ecclesiæ contra Sophistarum corruptio-  
nes probè munirent, placuit, scriptâ Epistolâ, Iudam & Silam mittere,  
qui ipsis râ & vtrâ verbis referrent, & uberioris explicarent: ut ita ex  
scripto Ecclesiis de vera & genuina sententia Apostolorum constaret.  
*Ibid. v. 27.*

XL I.

Vnde statim apparet, quam infidelis custos veritatis sint traditio-  
nes in tantis diaboli insidiis, mudi malitia & humani ingenij petulantia,  
cum Apostolorum adhuc temporibus tñlarum prætextu puritatis verbi  
sinceritas adulterata fuerit.

XL II.

Iam Evangelistas quod attinet, eadem omnino illos sibi proposita  
babuisse, & causis impulsos fuisse iisdem, ut scriberent, ex sequentibus  
planum evadet.

XL III.

Primus autem omnium inter quatuor Evangelistas scripsisse perhi- *Evang.*  
betur, & rectè, Matthæus: cuius in scribendo conatus occasionem & cau- *Matthæi.*  
fam Eusebius lib. 3. c. 24. & Nicephorus lib. 2. c. 45. & Hieron. in Cata-  
logo, in ipsius discessum ab Hebreis ad alios, conferunt, quibus discedens  
absentiam suam scripto præsenti, & quidem patro sermone, compen-  
sauit.

XL IV.

Autor operis imperfecti in Matthæum, Chrysostomi nomine editi,  
tam ita recitat: Cum facta esset gravis persecutio in Palæstina, ut peri-  
clitarentur dispergi omnes, ne carentes doctribus, doctrina etiam care-  
rent, petierunt Matthæum, ut omnium verborum & operum Christi con-  
scriberet eis historiam, ut, ubicunq; essent futuri, totius secum haberent  
fidei statum.

XL V.

Quæ narratio èd majorem fidem meretur, quod magis cum historia il-  
lius temporis convenit. Scribit enim Iosephus, circa illud tempus Iudeam  
miserabiliter afflictam fuisse à Magis & latronibus. Quibus accessit  
Pauli captivitas, quæ omnibus fidelibus videbatur nibil boni portendere.

## XLVI.

Et monstrantur nobis in istis narrationibus quatuor causæ: 1. Ut discessum suum ab Hebreis scripto compensaret. 2. Ut memoriae fragilitati consuleret. 3. ut summam fidei breviter scriptam haberent, quod viva Apostolorum voce posthac carentum erat. 4. Ut haberent normam, ad quam doctrinas aliorum examinarent, ne falsa pro veris obtruderentur.

## XLVII.

Non igitur μυκητούων tantum suit, història Evangelij Matthæi, ut fingit Lindanus: sed cuius usus in Ecclesia maximus tumfuit, ad quam, cœn regulam, viri Apostolici, & ipsi quoq; Apostoli, doctrinam suam instaurerunt. Scribit enim Hieronymus, Pantenum, in Indiam missum à Demetrio Episcopo Alexandrino, reperisse ibi Bartholomæum prædicasse adventum Christi juxta Matthæi Evangelium: quod etiam multos in India à Bartholomæo Hebraicè expositum habuisse, narrat Nicephorus lib. 4. c. 32. Et in Barnabæ tumulo illud propria ipsius descriptum manu repertum fuisse, testatur idem, lib. 16. c. 36.

## XLVIII.

Docuerat in occidente Petrus, ex cuius concionibus illorum mentibus, qui ipsum audierunt, tantus pietatis splendor illuxit, ut non scriptæ diuinæ prædicatonis doctrinâ contenti esse non possent: ob quam causam Marcum adierunt, ut ejusdem doctrinæ, quam voce sine scripto percepissent, literis comprehensam relinqueret. Cui petitioni satis factus, Evangelium suum concinnavit Marcus à Petro approbatum: referentibus ex Clemente, Eusebio lib. 1. c. 15. & Nicephoro lib. 2. c. 15.

## XLIX.

Sive autem Petrus illud dicta verit ut Nicephorus lib. 2. c. 45. dicit: sive ipse ita consignaverit, quæ ex Petro auditio perceperat: fuit enim discipulus eius, ut refert Irenæus lib. 3. c. 1. Causas certè quilibet duas videt: 1. ut illorum memoria juvaret. 2. ut contra hæreticorum corrumpelas ipsos præmuniret. L.

Videat Pighius, quomodo contra hæc clarissima testimonia de usu Evangelij Marci, defendat, quod magis delectatur verbis Ruffini, qui illud rictat furtum religiosum: ut scilicet eò facilius detrahere scripturae autoritati possit.

Evang.  
Lucæ.

LX. LXXX  
Lucæ Evangelista occasionem scribendi præbuerunt Meli illi, qui conatus

ednati sunt ἀνατέξεις sive virga voce, sive scripto, (utrumq; enim  
per vocem istam intelligitur) commemorationem texere eorum, quæ nec  
ipsi satis explorata habebant, quorumq; πληροφορίαν non satis certo asse-  
cuti fuerant: unde variae corruptelæ oriri cœperunt.

## LII.

Huic malo ut Lucas antipharmacum applicaret, & animos fide-  
lum contra corruptelas istas præseruaret, ne inficerentur, narrationem  
suam de verbis & factis Christi instituit.

## LIII.

Dicit autem ad Theophilum: Ινα ἔπι γνῶεις περὶ ὧν κατκήθεις, τὸν  
αὐτόλακον λόγων; ut certitudinem cognoscas, ut tanquam munitione  
firmeris contra ingruentes hæreses. αὐτόλιζει enim, accurata custodia  
aliquid asserbare significat, ne vel elabatur, vel amittatur Act. 16,  
24. Matth. 27.65. item contra imminentē vim munire, & firmum redde-  
re aliquid, ut illæsum maneat: ut cum fortes pessule sumantur, & corpus  
armaturā munitur.

## LIV.

Ex qua verbi significatione Theophylactus hunc locum ita explicat:  
1. Institui te sine scripto prius, nunc scriptum tibi trado Evangelium, quo  
mentem tuam ita munio, ne oblitiscatur eorum, quæ ἀγεάφωε tradita  
sunt. 2. ne qua dubitatio tibi oboriatur de illorum veritate, quæ viva  
voce percepisti, sicut quandoq; fieri solet, cum aliquid nudè narratur, ut  
minus ei credamus, nisi accedate ejusdem per literas confirmatio.

## LV.

Et quidem scripsit non alia, aut diversa, quam ante docuerat, sed  
περὶ ὧν κατκήθει Theophilus: nec vel incerta, vel relatione dubiâ per-  
cepta, sed πεπληροφορημένα εν αὐτῷ τὰ πρόγυματα certissimæ fidei  
διηγήσι, prout acciperat ab iis, qui illorum omnium αὐτόπται καὶ νπή-  
γεται fuerant.

## LVI.

Ita quoq; scripsit, ut omnibus, quæ Iesus cœpit facere & docere, per-  
vestigatis diligenter, scriberet, scilicet summatis, & tanquam in σωόθε  
quæ necessaria videbantur ideo Act. 1, 1. dicit se primum sermonem fe-  
ci se de omnibus (non, se scripsisse omnia) ut ita vanum appareat, quod  
pro traditionibus Papistæ ex cap. 20. Iohann. hoc loco opponunt.

B. 3.

Vfus.

## LVI.

Vsus eiusdem quis debuerit esse, partim ex iis patet, quæ iam dicta sunt; partim ex inscriptione, quæ Theophilum quendam notat, hoc est, omnes Christianos, qui nihil sunt aliud, quam Theophili, qui Deum amant; & si qui tales non sunt, illi Christiano nomine indigni sunt.

## LIX.

<sup>a</sup>Evang.Io-  
hannis.

Tandem cum mortui essent reliqui Apostoli, & solus Iohannes superesset, qui tum exulabat in Pathmo, Ebion & Cherintus surrexerunt, & miras in Ecclesia turbas dederunt, motis certaminibus de divinitate Christi, regno eius terreno & Leviticis observationibus.

## LIX.

Abutentes enim memoria Ecclesie, qua inter omnes constabat, Apostolos alia quoq; insuper viva voce tradidisse, quam illa, quæ de gestis & concionib; Christi à tribus Evangelistis edita erat: Cherintus in primis, ut narrat Eusebius lib. 3. c. 28. revelationes magni cuiusdam Apostoli iactitabat, à quo ista sua dogmata portentosa didicisset.

## LX.

Et quia ista dogmata ex tribus Evangelistis probare non poterat, comminiscebatur, quod ea à reliquis quoq; Apostolis tradita fuissent, sed non nisi intimis familiaribus.

## LXI.

Ob quam causam illa dogmata vocarunt & & & , profunda mysteria, silentio veneranda: ob quam etiam causam trium Evangelistarum historiam imperfectionis incusare non erubuerunt.

## LXII.

Ista essent & & Apostolorum, imò potius Satanæ; ut vocat Iohannes Apoc. 2. 24. in quo capite meminit huius certaminis. Iohannes itaq; cum ab exilio reversus esset, ad eum istæ controversiae tum, tanquam ad postremum Ecclesiæ vigilem & inspectorem, dijudicandæ deferebantur, sicut Hieronymus inquit: Qua propter protracturus in apertum, ac refutaturus Cerinthum & Ebionem & alios, probatis triū Evangelistarum scriptis, ut recenset Eusebius lib. 3. c. 24. ne quo vis vento & prætextu Ecclesia circumferretur, edito scripto, tanquam Evangelistarum trium complemento quodam, & ex quo illorum interpretatione, cum primis Matthei, quem recipiebat quidem Ebion, sed suis peculiaribus interpretationibus varie corrumpebat, sumi deberet, consulere eidem voluit.

Ei

## LXIII.

Et hæc quatuor conscripta Euangelia, autor est Irenæus, fuisse in primitiva Ecclesia normam & regulam, ad quam examinata fuerunt omnia, quasi de Christi dictis & factis prolatæ: et consentanea quidem recepta; dissentanea vero repudiata.

Autoritas  
Evangelistarum in  
primitiva  
Ecclesiâ.

## LXIV.

Nec movere debet, quod dicunt ex Iohann: cap. 20. 30. non omnia Christi dicta & facta esse consignata: et propterea praeter scripturam necessarias esse traditiones: Electa enim sunt, inquit Augustinus, tract. in Ioh. 49. ut scriberentur, quæ saluti credentium sufficere visa sunt: ipsis propè verbis, quibus ipse Iohannes hanc obiectionem dicto loco diluit: Hæc autem scripta sunt, inquiens, ut credentet vitam habeatis in nomine Christi. Et Cyrillus in eandem sententiam: Non omnia, quæ Dominus fecit, scripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quam ad dogmata putarunt sufficere.

## LXV.

Verba illa Iohannis, Hæc autem scripta sunt, etc. et si Lindanus ita conatur eludere, ut dicat, Iohannem tantum scripsisse de Articulo Divinitatis Christi: qui articulus solus cum sine reliquis neminem salvare possit, falsa esse, quæ de suo Euangelio glorietur Iohannes: Nihil tamen agit Jesuita: Etsi enim principaliter Iohanni non propositum fuit, universalem Christi dictorum & factorum narrationem instituere, sed, quæ reliquis Evangelistis videbantur deesse, adiungere: ea tamen est articulorum fidei & religionis Christianæ ubertas à Iohanne tradita, ut si quis ea sola norit, qui plura nosse non posset, ad æternam salutem illici ipsi abunde instructus esse queat. Quod si vero cum veteribus & recentibus interpretibus, hæc verba Iohannis ad omnium quatuor evangeliorum volumen referamus: multo etiam magis sequitur, in evangelistarum libris nihil deesse eorum, quæ ad æternam salutem sciri debent.

## LXVI.

Quod autem non singula Spiritus sanctus in literas coniici curavit, addit causam ipse quoque Iohannes: quod scilicet mundus ea non posset comprehendere: non propter molem librorum, aut loci angustiam; sed propter nostram infirmitatem, cui spiritus sanctus sufficientissima brevitate consuluit, ut non sit opus, defectum, quem fingunt, ex scrinio pectoris Pontificis Romani supplerere. LXXII.

Nec sequitur, sicut porrò argutatur ANDRADIVS, quoniam reliqua,

reliqua, quæ fecit & dixit Christus, perscripta non sunt, quod propter eas  
ociosa fuerint ad fidem & mores. Praeterquam enim, quod, sicut Iohannes loquitur, mundus capax illorum non fuisset, et ideo promulgatae  
literis esse tantum necessaria: repetitio eorundem miraculorum & con-  
cionum profuit ad doctrinæ confirmationem, cuius summa postea breviter  
conscripta est.

## LXVIII.

Cæterum quod idem Andradius opponit de iis, quæ per 40. dies post  
resurrectionem Christus cum discipulis communica verit, quid non fue-  
rint levius momenti, de quibus tamen nihil sit proditum: ad illud respon-  
det Augustinus: cum Evangelistæ tacuerint, quis nostrum dicat, ista vel  
illa fuisse? aut, si dicere audeat, unde probabit? Quamvis verissime  
affirmare possimus, non fuisse alia, quæ de regno Dei locutus est, cum  
mentem ipsis aperuit quam quæ in scriptis Apostolorum leguntur, et in  
Prophetis extant. Luc. 24. 27. 32.

CAPUT TERTIVM DE CAVSIS, OB QVAS  
scriperunt Apostoli.

## LXIX.

Etsi porrò nulla est differentia inter doctrinam Euangelistarum &  
Apostolorum propriè, quod utriq; docuerunt, quæ Christus præcepit, Matt.  
28. 20. Ioh. 16. 13. & 14. 2. Cor. 13. 3. 2. Cor. 5. 20. ordinis tamen gratiâ  
iuxa Lucæ explicationem Act. 1. 1. Christi doctrinam appellamus de eius  
dictis & factis, usq; ad diem, quo assumptus est, & ab Euangelistis con-  
scriptam: Apostolorum verò doctrinam, eam, quam post ascensionem  
Christi tradiderunt & evulgarunt: Cuius nunc ordo postulat, ut scri-  
ptionis causas, necessitatem & perfectionem patefaciamus.

## LXX.

*Acta Apo-*  
*stolorum.* *A*ctorum proinde Apostolorum autor Lucas est, qui, cum scriptione  
Euangelicæ historiæ fid. m & autoritatem sibi comparasset, eum laborem  
suscipere Spiritus sancti instinctu voluit, exorsus à primis initijs Aposto-  
licæ prædicationis.

## LXXI.

Prospexit enim Spiritus sanctus, futuros, qui (sicut Lindanus im-  
pudenter facit) cum de Apostolicæ Ecclesiæ statu antiquissimo non consta-  
ret, hoc titulo multa incerta & falsa obtrusuri essent Ecclesiæ.

Illic

## LXXII.

Illic igitur descriptum habemus, quomodo Apostoli nondum Christianos ad fidem adduxerint, quæ doctrinæ capita, et quomodo catechumenis, tam ex Iudeis, quibus doctrina Prophética jam tum nota erat, quam gentibus, qui prorsus rudes erant: proposuerint: quæ tanquam in τύποι Hebr. 6, 1. & 2. recensentur, et passim in Actis continentur & explicantur.

## LXXIII.

Ut ita de Catechesi Apostolorum nihil desiderare possimus, quicquid garriat Lindanus de Ceremoniis Papisticis circa Baptismum, et aliis, omissionis; id quod nos quoq; fatemur factum: et quia illæ de scripturis Apostolicis autoritatem non habent, eas una cum aliis infinitis merito rejicimus.

## LXXIV.

Et licet non omnia Apostolorum omnium acta persecutus scripturae Lucas sit: ut de Paulo testatur epistolæ 2. Cor. ii. Rom. 15. Gal. i. & 2. de reliquis Apostolis palam est: tamen exemplo quoq; veteris Testamenti, in quo multa de gestis Patriarcharum sunt omissa, nec Prophetæ omnes suam doctrinam literis comprehendenderunt; immo quorundam scripta intercederunt, Nathan, Gad, Semeia, Haddæ, Achiae, Iehu filij Hammoni & aliorum, ex quorum non scriptis traditio nibus Rabini dicunt Thalmud confessum esse; hujus exemplo, inquam, sufficiunt ea, quæ necessaria ad fidem & mores, ut consignarentur, indicata sunt.

## LXXV.

Quod si enim non sufficeret illud scriptum Lucae, certè libri plures in illum finem conscripti, ut Itinerarium Petri, Actus Andree, Phlippi & Thomæ, Historia de periodo & Actibus Pauli & Teclæ, ab Ecclesia, & Iohanne ad huc superstite, tanquam spurij rejecti non fuissent: Aut certè à Iohanne ipso addita fuissent, quæ videbantur desiderari, sicut adjecit ad historiam Evangelicam cognitu necessaria.

## LXXVI.

Quid? quod supervacaneus labor fuisset, cum una omnium fuerit fides, doctrina & ministerium, at q; sic unus, quoad fundamentum, Ecclesiarum omnium status.

## LXXVII.

Et sicuti doctrinæ capitum nudè positorum explicationes desinantur, eas sufficientissimas petere licet ex Apostolorum

epistolis, qui eas, monente quoq; Nicephoro lib. 2. c. 34. hoc consilio scri-  
pserunt, ut essent, i. ὑπομνήματα, compendio complectentia ea, quæ præ-  
sentes vita voce Ecclesis instilla verant. II. ut quæ ad pleniorē infor-  
mationem necessaria iudicabant, & quæ tanquam altioris sapientiæ in-  
tradendis primis fidei principijs præterierant, adjicerent, & accurate  
ac dilucide declararent.

## LXXXVIII.

Prior ad  
Thessal.

Prioris quidem ad Thessalonicenses scriptæ si expenderimus causas  
planissimè easdem reperiemus; ut scilicet. I. Commonefactio esset eo-  
rum, quæ vita voce Paulus ipsos docuerat i. Thess. 4. I. II. eorum, quæ  
fidei ipsorum deerant, impletio, quia id præsens ipse præstare non pote-  
rat, i. Thess. 3. 10.

## LXXXIX.

Posterior  
ad Thess.

Posterioris vero ad Thessalonicenses (ut & omnium, tam Pauli,  
quam reliquorum Apostolorum) editæ causa, præter illas duas, assig-  
natur 2. Thess. 2, 2. cura & inspectio testium Christi, qua cavere debe-  
bant, ne, longè lateq; propagata iam Ecclesia, puritas doctrinæ Apostoli-  
cæ, sive per spiritum, sive per sermonem, sive per epistolam, tanquam  
per Apostolos missam (quibus artificijs pseudodoctores tum temporis ute-  
bantur) adulteraretur.

## LXXX.

Quam ob causam etiam Thess. Ecclesiam de signo manus suæ instrue-  
2. Thess. 3, 17. quo uti soleat, cuius inspectione cavere possent, ne episto-  
lae suppositiæ pro genuinis à pseudoapostolis obtruderentur.

## LXXXI.

Tam malus & infidelis custos veritatis & puritatis verbi cœlestis  
traditiones sunt!

## LXXXII.

Vrgentes autem hoc loco dictum 2. Thess. 2, 15. pro traditionibus non  
scriptis: Tenete traditiones: Primò nimis largiter concludunt. Non enim  
sequitur: quia in hac epistola, & precedenti, quæ tum sibi extabant  
ex omnibus scriptis Novi T. Paulus non tradidit omnia, Ideo postea nec  
in tota scripture Novi T. tradita sunt, quæ fuerunt ad salutem necessa-  
ria.

## LXXXIII.

Sicut etiam vitiosa est hæc ratiocinatio. Tunc, cum Paulus posterior  
rent

rem ad Thessalonicenses epistolam scripsit, non sufficiebant ea, quæ scripto comprehensa extabant, sed insuper illis etiam erat opus, quæ vivæ voce tradebat Paulus. Ergo postea quoq; confessis omnibus Evangelistarib; & Apostolorum libris nihil minus vivæ vocis supplemento ecclesia indiguit ad tradenda reliqua saluti necessaria.

## LXXXIV.

Res exemplo Veteris testamenti perspicua redditur. Tempore prophetarum rectè dicebatur: Non tantum à Mōse scripta esse tenenda, sed etiam quæ prophetæ vivæ voce & scripto tradebant. Neq; tamen hinc evincitur, post edita prophetarum volumina, & absolutum Veteris Test. Canonem, iam insuper etiam opus esse alijs traditionibus, quales à Cabalistis & Thalmudistis ex cogitatæ sunt plurimæ.

## LXXXV.

Duas ad Thessalonicenses excipit prior ad Timotheum, quam cur scribere voluerit, ipse indicat: Hæc tibi scribo, sperans me citò ad te venturum: si autem tarda vero, ut scias quomodo in domo Dei ambulare debas, quæ est Ecclesia Dei viventis, columnæ & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. 15. quoniam Ecclesia columna est & fundamentum veritatis.

Prior ad  
Timo-  
theum.

## LXXXVI.

Inq; ea nihil proponit novi, sed præter prolixam de gubernanda Ecclesia informationem, repetit breviter summam παραγγελιæ, capitum doctrinæ, c. 1, 3. quæ Timotheo observanda & annuncianda, vivæ voce coram commenda verat, & aliquoties eam institutionem nominat λόγον πιστού καὶ παραγγελίου χρήσει dignum fide & acceptio[n]e sermonem, tanquam ab Apostolis acceptum, c. 1, 15. &c. 4, 9.

## LXXXVII.

Eum itaq; in finem, scripta hæc est epistola, ut & ipse Timotheus esset certior, & Ecclesia de doctrinæ illius autoritate non dubitaret, ne ve quis eum, licet adhuc adolescentiorem, contemneret, cum Apostolicis præceptis scripto traditis instructum cognosceret.

## LXXXVIII.

In illis autem præceptis observandum, inquit Tertullianus de præscriptione adversus hæreticos, quod Paulus multoties repetendo, dicit: hæc doce, hæc mone, non illa, tanquam de alijs, quæ non scripsérat, sed de illis ipsis.

## LXXXIX.

Hic iam si quis dicat, in epistola hac tantum generalia capita extare, quæ ministerij sunt, ut de sanis sermonibus Christi, & doctrina secundum pietatem, & alijs: is sciatur, istorum explicaciones in Evangelistis & reliquis epistolis copiosissimas reperiri, quibus contenti esse debemus, non inquirentes in ea, quæ spiritus sanctius scribi noluit.

## XC.

Epist. ad  
Titum.

Huic quod ad argumentum similis est ad Titum, comitem itineris, ac socium ministerij, paucis diebus post scripta, cum ab illo Paulus discessit ex Creta: ideo quidem, ut & Titus ipse certus esset, ea, quæ proponebat, fidelem esse sermonem, de quo recte posset asseverare, c. 3. 8. & Ecclesia haberet testimonium autoritatis Titi, non privatæ, sed ab Apostolo acceptæ, ut μετά πάσῃς ἐπιταγῆς doceret, quæ in mandatis habebat à Paulo c. 2, 15.

## XCI.

Prior ad  
Corin-  
thios.

Cæterum prioris ad Corinthios usus non particularis, ut calumniantur Pighius de Pauli epistolis, sed universalis, in omnis necessitatis usum, esse debuit, ut loquitur inscriptio, 1. Cor 1, 2,

## XCII.

Causa προναταρική fuit schisma illud, quo, ex personarum discrimine & autoritate doctorum estimantes doctrinam, & hic Pauli, alius alio, tertius itidem alio, se appellantes nomine, inter se dissidebant, 1. Cor. 3, 4. cum tamen & plantans, & rigans unius Domini ministri sint, & unum sit fundamentum, ut docet Paulus 1. Cor. 3, 8. & 11. una doctrina, quod testatur consensio inter Apostolos datis dextris declarata, Gal. 2, 9. Itaq; non ex personis, sed ex doctrinæ unitate & veritate iudicandum.

## XCIII.

Cœperant etiam irreperere adulterationes de peccato, Cœna Domini, Resurrectione mortuorum: è quibus errorum tenebris Corinthios hac epistola in lucem reponere studuit.

## XCIV.

Quin imò, posito apud Corinthios feliciter fundamento, quod unicè consistit in prædicatione de Christo crucifixo, quem & ipse & reliqui Apostoli prædicaverant, 1. Cor. 15, 3. & 11. item c, 11, 23. dicit, se tradidisse illis Cœnam Domini, sicut à Domino accepérat: paulò post Apostoli discessum, quidam cœperunt superstruere lignū, fœnum, stipulas, 1. Cor. 3, 2

95. Hos.

## XCV.

Hoc incendium ut restinguaret, & quod aurum, argentum, gemmæ, quæ ab Apostolis: quod item lignum, fænum, stipulæ, quæ ab alijs, super fundamentum extruantur, ostenderet, opus censuit, ut scriberet, & quæ viva voce ab ipso acceperant, breviter repeteret, literis & ministerio Timothei, ὃς ὑμᾶς ἀναμνήσει, I. Cor. 4, 17.

## XCVI.

Vnde iterum apparet, quām infirmæ sint, & parum habeant roboris traditio[n]es ad veritatem custodiendam.

## XCVII.

At non omnia capita doctrinæ Apostolice in hac epistola continentur, inquit, aut certè iustas explicationes desideramus: quæ nota imperfectionis est. At coniungantur, nos dicimus, & legantur scripta quoq[ue] reliqua, Novi T. & nihil desiderare poterunt: quam responsionem subministrat Paulus I. Cor. 4, 17. Timotheus vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicut ubiq[ue] in omni Ecclesia doceo.

## XCVIII.

Sed instant: Cætera disponam, inquit Paulus I. Cor. 11, 34. Cum vnero. Ergò quæ nunc in pontificia Missa servantur, Paulus viva voce tradidit.

## XCIX.

Sed male concludunt: Paulus quædam ordinavit præsens, quæ non scripsit. Ergò illa fuerunt quæ circa Missam servantur: Ergo scriptura imperfecta. Quis enim tam velit esse impius, ut dicat, Paulum imperfectè doctrinam de Caena ( quoad substantiam ) tradidisse Corinthijs, cum ipse affirmet, se eam tradidisse, sicut à Domino accepit? I. Cor. 11, 23.

C.

Loquetur igitur de Ceremonijs adiaphoris externis, quæ in omnibus Ecclesijs non sunt semper eadem: quod etiam verbum διατάξεως inuere videtur, cum cap. 16, 1. eodem sensu usurpetur de eleemosynarum ordinatione. Quis autem dicet, ista vel illa fuisse?

## CI.

Cæterum intelligens Paulus, à pseudoapostolis in peiorum partem & Posterior contemnū rapi, & quod cum Domino conversatus non esset, & quod ad Corin absens, epistolâ is non esset, qui præsens verbo: id quod valde turbabat <sup>thies.</sup> Ecclesiam: alterâ scripta epistola utrumq[ue] diluit: prius 2. Cor. 12, 11. & 13, posterius, c. 10, 11. & c. 13, 2.

C 3

292. Et

## CII.

Et eandem fuisse doctrinam, sermone & scripto à Paulo traditam, id aestimandum exhibent verba ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, per reminiscientiam antea notum recognoscere; & ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, exploratum habere: quibus Cor. 1. 13. & 14. & sensu eodem i. Cor. 14. 37. utitur, ubi, quæ scripsit, recognitioni & dijudicationi illorum subiicit, num sint mandata Domini, & cum iis, quæ docuerat, consentiant.

## CIII.

**Epist. ad Romanos.** Porrò ad Romanos, quæ fidei Christianæ complectitur methodum, ob id primum locum tenet, ut Theodoretus inquit, cum scripta sit, enipse exponit Paulus, c. 1. ut impetrari vobis aliquod donum spirituale, εἰς τὸ σκηνήν τοῦ μαχέσ, ad confirmandum vos. & c. 15, 14. & No. Scripsi audacius vobis ex parte, tanquam in memoriam reducens, ὡς ἐπαγγείλων μάχεσ.

## CIV.

Ex parte, & ὡς μέρη, inquit, non quid quicdam traditionibus non scriptis reservari voluerit, ut Lindanus hac vocula abutitur: sed referenda hæc vox ad adverbium, audacius, ut identitatem, quod quodammodo, facit 2. Cor. 2, 5. quamquam si maximè coniungatur cum verbo, nihil nobis obfit, cum et 1. Cor. 13, 9. & 2. Cor. 1, 14. ita loquatur Paulus: ex quibus tamen locis imperfectio scripture non astrui potest, nisi velimus dicere, ne voce viva quidem necessaria omnia ad saltem proposita fuisse. Contrarium enim Paulus affirmat Act. 20, 27.

## CV.

Et libenter concedimus de epistola hac, quod in ea aliquot articuli non comprehendantur: de tota scriptura Novi T. strenue negamus.

## CVI.

Scripsit autem eam, cum Hierosolymas quasi ad mortem proficietur, ut, si quid sibi accideret, plenius methodo pulcherrima fidei Christianæ summam, & confessionem fidei suæ & Romanorum, ac Evangelij sui inter gentes impleti Rom. 15, 19. qua præter Christum nihil docuisset, relinqueret, apud illam Ecclesiam, quæ erat tum celebratissima in mundo, unde facilius ad alias quoq; devenire poterat.

## CVII.

**Epist. ad Galatas.** In Ecclesiam Galaticam quoq; pseudoapostoli se se ingesserant, qui eam prætextu opinionum tanquam à reliquis Apostolis cum ipso Christo conversatis traditarum, conturbabant, & Christi Evangelium pervertabant,

61

ebant, sublato legis & Evangelij-discrimine, officio, atq; usu, ab Evangelij justicia ad legis justiciam reducendo: quod etiam infelici successu apud multos obtinuerunt, Gal. 1, 7.

### C VIII.

Ad fermentum illud expurgandum, & ministerium suum à calumniis, quod cum Christo non conversatus, & propterea omnium secretorum ejus non conscient esse, à pseudoapostolis prohibebatur, asserendum. Evangelium quoq; receptum ab illis, scripto communicare voluit. Gal. 1, 8.

### C IX.

Ad quod Evangelium in Epistola illa repetitum & declaratum. Nos æquè ac Galatas, ita vult quasi colligatos, ut, si quis vel contra, vel præter illud quicquam statuerit, Gal. 5, 9. talem anathema esse jubeat. Ga. 1, 8.

### C X.

Et illud quidem fulmen recte Basilius & Augustinus ad totam scripturam accommodant, quæ sola regenerat homines, & lapsos rursus partitur, ut Christus in ipsis formetur, Gal. 4, 19.

### C XI.

Vnde iterum vel cæcus palpat, divinandum non esse ex traditionibus, quid Paulus docuerit viva voce, sed illud ipsum esse Evangelium, quod literis conclusit. Contra quod si quid ita tuant consilia, nefas duco, dicit Hieronymus.

### C XII.

Quid? quod Paulus hoc suum Evangelium Canorem appellat, ad quem τὸν κανόνι τὸτε (δεκτικῷ ne alias intelligatur) σοὶ, quicūq; id est, non soli Galatae; sed alij omnes σοιχέσσοι, ambulaturi sine (defuturo) eis pacem precatur, Gal. 16. usum scriptorum suorum apud posteritatem monstraturus. A quo vocabulo, & usu scripture tota dicitur Canonica.

### C XIII.

Vtitur autem verbo convenientissimo, σοιχὲν, vestigiis alicujus insisterere: σοιχοι, ordines sunt in re militari, & hostibus oppositi; à quo σοιχὲν. Sicut igitur ordinibus illis turbatis, incurso fit ab hostibus, exercitus funditus, & victoria amittitur: ita ordines librorum scripturarum, hostibus veritatis oppositi, violandi quoq; non sunt, sed accurate ad eos incedendum, ne victoriā contra hostes amissa, pace & misericordia. Dic excidamus.

### C XIV.

Sed enim omnium Pauli epistolarum usum si expetis, eum

AB

ab ipso Paulo discas licebit, Eph. 3, 4. supra scripti brevi, unde, προσδοκεῖτε  
potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi.

## C XV.

Vbi manifestè indicat, se licet brevi scripto, vel paulò antè, ἐπίλεγω, tanquam in programmate quodam (hoc enim verbū προέγραψα innuit, Habac 2. 2.) totam fidei summam Epheſiis cognoscendam tradidisse, ita quidem, ut totum Christi mysterium, seu omne consilium Dei de ipsorum salute annuncia verit Act. 20, 27. per quod extructi sunt super fundamentum Prophetarum et Apostolorum, Eph. 2. 20.

## C XVI.

Sive enim, προσδοκεῖτε, prout potestis, (ut solet usurpari in proportionibus) sicut Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius, non sequitur, imperfectam esse scripturam, ut poterat obici; sed perfectam quidem, ita tamen propositam à Paulo verbis humanis (ἀρχαὶ enim sunt, quibus exprimendis ne angelorum lingvæ sufficiunt. Cor. 12. 4) ut ad captum nostrum et infirmitatem accommodaret: Sive per unde, vel, ex quibus (quæ significatio præpositionis προσδοκεῖ apud Græcos usitata: Thucydides: προσδοκεῖ τὸν λόγον ὑπότευον αὐτὸν, ex literis habebant ipsum suspectum: quæ sententia etiam germanicè à Lutherò expressa est) sacrae scripturæ sufficientia nobis commendatur iuxta scientiam Pauli in mysteriis Christi, hac epistola propositam, ita, ut possimus intelligere.

## C XVI.

Consistit autem illud mysterium in unitate fidei et agnitionis filij Dei, Eph. 4. quam ut percipiamus, nec quovis vento doctrine circumferamur, dat alios Apostolos et c. c. 4, 11. et 14.

## C XVII.

Quibus quid illustrius proferri potest pro sufficientia scripturæ? Dicant, quicquid velint, Papistæ de traditionibus Apostolorum vita voce propagatis; quis dicet hæc vel illa fuisse, quamvis alia aut diversa non fuerunt?

## C XIX.

Similes certè Caianis sunt, quos Epiphanius narrat librum confixisse de ascensu Pauli, in quo ἀρχαὶ illa Pauli 2. Cor. 12, 4. ab initio quidem, tanquam rudioribꝫ adhuc, non explicata, ob quam causam scripsit saltem, prout poterant intelligere; postea vero scripta, tanquam necessaria, præter illa, quæ extabant, reliquissimum perfectioribus; recensuerint. Sed nugas sunt, cum in hac epistola, et alibi, illud habeatur, quod nos bis scire necessarium est.

120. In

## CXX.

In epistola ad Philip. c. 3. 1. dicit, sibi οὐκ ὄκνηρόν, non molestum esse, Epist. ad ut τὰς αὐτὰς scribat ipsis, illa, quae corām auribus hauserant, quae didicērunt, Phil. 4, 9. Et c. 3, 16. ac præcipit, ut ea cogitent, et in ihs maneant, tanquam regulā, ad quam incedere debeant, Phil. 3, 16.

## CXXI.

At qui finis? vobis, inquit, τὸ ασφαλές, tutum: ut nimisrum videant canes, videant malos operarios, ne veritas doctrinæ corrumpatur Phil. 3, 2.

## CXXII.

Dehinc Colossensibus et Laodicensibus, qui faciem ipsius non vide- Epist. ad rant, ab Epaphra, viro Apostolico, institutis in fide, ἡλίκον ἀγώνα ἔχων περὶ αὐτῶν Col. 2, 1. scripsit: I. ut Epaphra doctrinā fveritatis nomine Colossens. commendata Col. 1, 6. Et 7. quodd idem Evangelium in toto mundo sonaret et fructificaret, capitibus item quibusdam Apostolica doctrinæ re- citatis, πληροφορία in ipsis concitaret. II. ne per philosophiam et tra- ditiones hominum seducerentur. c. 2. 4. Et 8.

## CXXIII.

Commendat illis quoq; sermonem Christi ab Apostolis prædicatum; ab Evangelistis vero connectum in literas: quod patet c. 4, 10. ubi Marci facit mentionem, mandans, ut illum excipiant, à quo acceperint εὐαγγέλια; siue epistolam illam Apostolorum, cuius doctrinæ capita Act. 16, 4, vocantur δόγματα, siue Marci Evangelium, sancè ad Novi T. scriptos deducit, et nos hodie.

## CXXIV.

Nos, inquam, quorum eandem, tanquam vigil generalis, egit curam, ἀγῶνα, qui faciem ipsius quoq; non vidimus, c. 2. 1. οὐτοι, quicunq;.

## CXXV.

Ex hac igitur, et reliquis epistolis πληροφορία percipere debemus fidei nostræ, ut inde informemur in charitate, et omnes divitias adipiscamur plenitudinis intellectus in agnitionem mysterij Dei et Christi Jesu c. 2. 2. Et perfecti statuamur in Christo Iesu. c. 1. 28.

## CXXVI.

Vbi de traditionibus coniungendis verbum nullum audimus.

## CXXVII.

Accedit epistola ad Hebraos Autor, qui se scripsisse ait, ne quæ a Do- Epistola ad mino coepit primū enarrari, et postea ab illis, qui audierant, prædicta- Hebreos. ta et confirmata salus est, Hebr. 2, 3. animis eorum efflueret. μη παρα- ψυώμεν. Hebr. 2, 1.

## CXXVIII.

Et licet per paucis scripsit, ut ait c. 13, 22. totius tamen doctrinæ apostolicæ summam exponit, quæ teste etiam Nicophoro, in duobus consistit: I. in rudimentorum seu Catecheseos capitum traditione c. 5 & 6. II. in cibi solidioris (qui qualis sit, in tota fere epistola explicatur) administratione, qui post percepta fidei clementia apponi solito fuit. 1. Cor. 3, 14.

## CXXIX.

Ad hanc doctrinæ summam (ab Apostolis quoq; eo modo traditam in epistolis) tanquam sufficientem, Hebræos & alios, c. 13, 9. totos quasi revocatos cupit exhortando eos, ne doctrinis vanis & peregrinis circumferantur.

## CXXX.

Posterior  
ad Timo-  
theum.

Tandem in 2. ad Timoth. quam ceu Testamentariæ voluntatis loco reliquit Ecclesie, totius scripturæ Novi T. usum monstraturus erat: quem exponit, υποτύπωσιν sanorum verborum præcipiens, quæ constat in fide & charitate, quæ in Christo Iesu fundata sunt c. 1. 13. & 14. quod est depositum illud, quod diligenter affervari mandat; quod alijs idoneis ad docendum commendari, in quo ipse Timotheus permanere debet, sciens à quo didicerit, c. 2, 2. c. 3, 14.

## CXXXI.

Idem depositum vivæ vocis Pauli cognoscimus ex ipsius scriptis, ut non opus sit pendere ab illis extra scriptum verbum asseverationibus hominum.

## CXXXII.

Vnum addamus Pauli de autoritate & sufficientia scripturæ, quod instar omnium esse potest & debet, testimonium. Paterna enim solicitude pro posteritate fideli motus, generalem hanc totius scripturæ commendationem quasi legare Ecclesie voluit, 2. Tim. 3, 15. Scripturæ sacrae possunt te eruditum reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu: verbis propemodum iisdem, quibus suum Evangelium canonisat Iohannes. c. 20, 31.

## CXXXIII.

Quæ convenientia certè arguit autorem spiritum sanctum, & proinde iudicij huius Pauli de sacra scriptura certitudinem, ne obiter excidisse hic aut alibi putetur.

## CXXXIV.

Et loquitur Paulus tam de scriptura Veteris T. quia ab infantia sacras literas nostri 2. Tim. 3, 15. tum enim temporis (in Timothei infantia) nihil extabat scriptum ab Apostolis: quam Novi T. cuius tum omnia scripta Canonica, præter solius Iohannis, lucem aspexerant: Omnis scriptura, v. 16. Alijs enim N. T. scriptura non diuinitus inspirata, sed sola hominum.

Hominum voluntate allata dici posset: quod blasphemum & impium.  
Imo quia inter fideles nemo de Canone Veteris T. dubitabat, hoc egisse  
principaliter videtur, ut Novi T. scripta de autoritate, certitudine &  
sufficientia Ecclesiae commendaret.

## CXXXV.

Dicitq; totam scripturam & utilem esse (quod Pontificij concedunt  
de omnibus etiam apocryphis) & perfectum (quod satis impudenter ne-  
gant) & Iov, & ad omne opus bonum, ἐξηγήσαντο, preparatum &  
absolutum (qua significatione etiam usurpat, Act. 21.5. Luc. 6. 40) red-  
dere hominem Dei, h. e. Christianum, vel potius ministrum verbi i.  
Tim. 6.11. Tit. 3.14 quem hoc loco instruit. 2. Tim. 3.17. quæ perfectio  
consistat in his quatuor: διδασκαλίᾳ, ἀλεγχῷ, εὐαγγελίῳ, καὶ παιδείᾳ  
ἐν διδασκαλίᾳ 2. Tim. 3.16. CXXXVI.

Sicut igitur minister verbi perfectus est, absolutus ad omne opus bo-  
num, nec quicquam desiderare potest, quæ sunt ministerij, si secundum  
scripturam doceat: ita fides quoq; Ecclesiae perfecta est, quæ doctrina ista  
mediante in Christum concipitur, secus, ac Pontificij contendunt, tradi-  
tionum suarum paleas commiscentes. Sunt enim doctrina & fides Coro-  
sellata: ideo quicquid de uno dicitur, de altero quoq; ex necessitate dicitur  
acbet.

## CXXVII.

Etsi enim obtendunt Iesuitæ, Paulum non tantum scripturam com-  
mendare, sed simul traditiones coniungendas monere, 2. Tim. 2.2, 2. Tim.  
3.14. Ergo scriptura imperfecta. Facilis tamen est solutio. Nam. 1. Tim. 4.  
11. dicit: Hac præcipe, & doce. & mox v. 16. Hoc enim faciens, & tei-  
psum salvum facies, & eos, qui te audiunt. Tribuit nimis traditioni-  
bus suis virtutem, & Iov reddendi & doctorem, & auditores, Act.  
20. 27. Eandem vero tribuens scripturæ. 2. Tim. 3, 17. docet, & viua  
voce communicatas & scripto comprehensas traditiones Apostolorum,  
nō alias esse, sed easdem. CXXVIII.

Hoc Pauli iudicium D. Petrus ita exprimit, ut orum ovo similius prior Pe-  
vix esse queat. Post descriptionem Evangelij. 1. Pet. 1. 12. & 15. 1. Pet. 5. tri.  
12. omnes primò hortatur, ut illud, à Prophetis pronunciatum, & Aposto-  
lis traditum viua voce initio, iam prædicatum per Sylvanum, quem  
suo scripto testimonio ornatum videant, tanquam γνώσιον amplectantur.

## CXXIX.

Nullius momenti est, quod Lindano singit, Petru traditiones αγιστῶς  
acceptas hac epistola confirmare voluisse, non ostendere, quæ illæ fuerint.

D 2

Car.

**C**ur igitur tam scriptit prolixè, cum brevibus tota res expediri potuisse?  
Et contrarium ipse dicit 1. Pet. 5. 12. scripti breviter, contestans, Τάυτων,  
hanc, non illam, esse veram gratiam Dei, in qua statis.

**CXL.**

Deinde suæ epistolæ scriptæ causas reddit: I. ut omnium istorum,  
quæ sciant, et in quibus confirmati sint jam, commonefaciat, ut habeant,  
quo post ipsius obitum semper, ἐν ὁστε, memoriam faciant, μνήμων ποι-  
ζοῦσι αὐτός. 2. pet. 1, 15. II. quod seculis futuris illusores venturi sint. 2.  
Pet. 3, ετ c. 2. 1.

**CXL I.**

Traditionibus igitur fictitiis, ex quibus corruptelas orituras prædi-  
cit, non suas tantum epistolas opponit, sed Pauli quoq; qui de his ipsis re-  
bus, Evangelio 1. Pet. 1. de quibus Petrus, scripti, vel loquitur ad huc,  
ὡς καλῶν, tanquam viva voce υμῖν, vobis, omnibus, qui eandem  
cum Apostolis fidem habent, 2. Pet. 3, 15. ut ostendat, usum omnium scri-  
ptorum Novi Test. non particularem, sed universalem esse.

**CXL II.**

Illud, quod obijcunt de difficultate intelligendarum Epistolarum  
Pauli, quas multi depravent ad suum interitum: 2. Pet. 3, 16. id est  
tutius esse ab illis abstinere, et acquiescere traditionibus: hoc, inquam,  
textus σαφίνεαι refellit. Non enim scripturae epistolarum Petrus tribuit,  
quod propter difficultatem styli occasionem præbeant legentibus ad per-  
niciem, sed rebus ipsis, quas nisi spirituales, quod omnem rationis ca-  
ptum superant, nemo rectè intelligere potest: id quod indicatur articulo  
neutro, δυσνόηται, quædam ab intellectu remota: quædam, inquit:  
non igitur omnia: et illa non per se, sed per aliud, homines nimirum  
ipsos, indoctos, et nondum confirmatos, qui quasi tormentis adhibitis,  
vi summa, sensum planum alias et simplicem, σπελλότι, detorquent  
ad illud, quod ante lectionem præsumserunt intelligendum, ad propriam  
perditionem.

**CXL III.**

Iohannes, posita item prius Evangelicæ doctrinæ descriptione 1. Ioh.  
2, 2. ετ 3. usum ejusdem statim annexit, v. 4. ut gaudium vestrum sit  
plenum et c. 2, 12. 13. 14. ut remittantur peccata. Item c. 4. 1. ut proben-  
tur spiritus, num ex Deo sint. Et quidem, non novam esse annunciationem,  
sicut sed quam audierunt à Christo, c. 1. 5. mandatum, quod habuerunt ab  
initio.

initio. c. 2. 7. quod ut in ipsis permaneat, sedulò hortatur e. 2. 24. ita  
quidem, sicut unctio ipsos docuit c. 2, 27.

## CXLIV.

Quia vero Iohannes dicit, se non scripsisse ignorantibus, sed scientibus  
veritatem, c. 2, 21. mandatum, quod habuerunt ab initio, quod si in ipsis  
permanserit, futurum, ut maneant in filio et patre, et consequantur re-  
missionem, vitam aeternam: illud autem mandatum in literas rela-  
tum extat: ex avyse concluditur, hanc, et non aliam esse doctrinam,  
quam Ecclesiae ab initio tradiderunt Apostoli; ex qua possimus habere  
remissionem peccatorum, et probare spiritus, num sint ex Deo; manda-  
tum istud, cuius Petrus meminit. 2. Pet. 3, 2.

## CXLV.

Et scripsit non iis solùm, qui tum credebant, ut confirmati in fide,  
certi essent de vita aeterna, sed etiam iis, qui adhuc credituri erant, ut  
crederent in nomen filij Dei. 1. Ioh. 5, 13.

## CXLVI.

In Apocalysi idem Iohannes annotat, quod jesus sit aliquoties a fi- Apocalyp-  
sis Iohan-  
nis.  
lio Dei scribere, c. 1, 11. quod Pighius, Eccius et Andradius impudenter ne-  
gantes, contrarium mandatum Apostolis factum mentiuntur, 2. Tim. 3,  
16. Et quidem non omnia jesus est excipere calamo, sed necessaria  
c. 10, 4. quibus si quis quicquam demserit aut apposuerit, huic pla-  
gas additum iri, et partem ejus ablatum iri de libro vitae, minatur,  
Apoc. 22. 18. et 19. sicut de scriptura quoq. veteris T. loquitur Deus,  
Deut. 12, 32.

## CXLVII.

Iudas brevi sua epistola nihil agit aliud, quam ut scripta reliquo- Epist. Iuda-  
rum Apostorum Ecclesiis commendet, quorum adjumento resistere possint  
illusoribus, qui secundum Apostolorum prædictionem quo vis tempore  
Ecclesiam perturbaturi essent, v. 17. et 18. prolixius certè scripturus, si  
quicquam desiderasset in epistolis Apostolicis.

## CXLVIII.

Ridiculus Lindanus est, qui τά προειρημένα ἀπό τῶν ἀποστόλων, ad  
traditiones illorum, viva tantum voce, non characteribus, Ecclesiis pro-  
positas, restringit, cum tot jam testimonis ipsorum Apostolorum demon-  
stratum sit, quæ annuntia verunt, ea scriptis quoq. comprehensa esse.

## CXLIX.

Impudens quoq. mendacium. Lindani illud est, quo singit, Iohan-

D 5

nem.

68.

nem in epistola 2,12. & ep. 3,9. & 13. dēcentem, se multa habuisse, quae scriberet, sed noluisse per chartam, sed brevi se sperare, quod ore ad os cum illis locuturus sit. indicasse, non omnia literis commendanda esse, ne perirent: sed præcipua & sublimiora doctrinæ capita, quod perpetua essent, traditionibus reservanda. Primò enim textus id non dicit. Deinde cum longè aliud Iohannes Apostolus in prima epistola doceat, has duas pro ipsius genuinis non agnoscimus: quam ob causam de illarum autore ab antiquis semper dubitatum fuit. Et ideo ad confirmanda dogmata non adhibendæ. Et, si scribere ipse noluit, quis dicet, inquit Augustinus, ista vel illa fuissent?

CL.

Tot igitur usus cum præstet scriptura Novi T. nemo certe potest esse, nisi vespertino, qui in tanta testimoniorum apostolicorum veritatis claritate non videat, eam non tantum summè necescariam jam tum fuisse, hodieq; esse, sed omnibus quoq; numeris absolutissimam & perfectissimam, ita, ut pœnas expectare debeat gravissimas, qui quiquam vel superinduxerit ex non scriptis, vel reprobarerit ex scriptis.

CAPUT IV.

DE TESTIMONIIS VETERIS  
Ecclesiæ.

CLI.

Sed enim his manifestissimis ipsius spiritus sancti testimoniosis unum atq; alterum quoq; Orthodoxæ antiquitatis addamus, ex infinitis. Augustinus de Civit. Dei lib. 19. c. 18. Civitas Dei, inquit, credit scripturis sanctis, veteribus & Novis, quas Canonicas appellamus. Vnde fides ipsa concepta est, ex qua justus viuit, per quam sine dubitatione ambulamus, quam diu peragrinamur à Domino. Theophyl. Theophylactus ex Chrysostomi homil. 1. in Matthæum: Quoniam hæreses pullulaturæ erant, quæ mores nostros depacerentur, operæ premium visum est, ut scriberentur Evangelia, quia discentes ex illis veritatem, non deciperemur ab hæresium mendaciis. Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. c. 9. In his, quæ aperte posita sunt in scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq; vivendi, spem scilicet & charitatem.

CLII.

Omnia, inquit Augustinus, non aliqua. Canon ergo scriptura, & regulæ

69.

regula est perfectissima, ad quam omnia, probanda & examinanda  
sunt, quæ in controversiam vocantur.

CL III.

Quod etsi Papistæ ipsi cogantur fateri, scripturam scilicet normam  
esse fidei: Andradius tamen ita eludit: ad sacrarum scripturarum nor-  
mam quidem omnia examinanda esse, ut nihil ab iis diuersum probe-  
mus: interim fidem Catholicam non ita conclusam scripturæ finibus es-  
se, ut extra illam nihil probare possit aut debeat. Verissima esse, quæ ha-  
bentur in scripturis, sed non omnia consignata: & propterea adhibenda  
Concilia probata, Ecclesiæ Catholicæ consensum & Patrum autoritatem.

CL IV.

Huius cardinallo respondet Theophylactus: Canon & amissis nec additi-  
onem patitur, nec ablationem: ipso Pighio id concedente, qui dicit lib. 1.  
de Hierarchia Ecclesiastica, c. 4. Scripturæ propter obscuritatem & flexi-  
bilitatem opus esse alia certa norma & amissi, traditione scilicet Eccle-  
siastica. Quo falso Pighius alterum falsum Andradij fortiter refutat.

CL V.

Adhuc Andradius sufficientiam scripturæ una demonstratione ever-  
sus, ita concludit: Vera Ecclesia, quam semper Deus in mundo habet,  
a vera fide separari non potest. Ergo audienda, vel sine scriptura lo-  
quens, & sensus ejus norma est fidei nostræ.

CL VI.

Sed opponimus ei primo loco exemplum Christi & Apostolorum, qui  
ex scripturis pugnarunt contra Pharisæos. Deinde ad propositionem ad-  
dimus: quam diu vera Ecclesia manet, et non discedit a sana doctrina  
Verbi Dei: hoc enim quando fit, amplius vera Ecclesia non est.

CL VII.

Contrariam igitur verum, Ecclesiam quippe pendere a veritate  
verbi, quod profitetur. Non enim cœtus est αὐτογάτοις, sed verita-  
tem doctrinæ suæ probare debet ex scripturis Canonicis.

CL VIII.

Addo, quod errores sœpè inveniuntur. Cor. 3. in ipsa Vera Eccle-  
sia, ut, cœtu adulterino prævalente, prematur & lateat, sicut tempore  
Elic factum. 3. Reg. 19, 19. et Matth. 24. prædictio Christi testa-  
tur.

CL IX.

Præterea cœtus ille visibilis, qui nomen saltem usurpat, vera Ecclesia

non



non est, si ve habeat verbi Dei veritatem, si ve non. Nec iudicium sumitur ab externo Ecclesiæ statu, quæ sit vera Ecclesia sed ex doctrina divinitus patefacta iudicatur de vera Ecclesia. Ioh. 10, 27. Eph. 2, 20.

## CLX.

Quod igitur contra Petilianum Augustinus, id nos contra Andradum usurpare convenienter possumus: Non audiamus: hæc ego dico, hæc tu dicas: sed audiamus hæc dicit Dominus.

## CL XI.

De incertitudine & obscuritate scripturæ alias multa quoq; verba fieri solent à Papistis: quos locos Andradus non ingreditur. Quod autem ex quibusdam scripturæ locis obscurioribus ad fidei quædam mysteria alludit, scilicet si illa quoq; obscura sint: huic opponimus illud Augustini: Cum multa sint in scriptura obscura & difficilia loca, omnia tamen, quæ ad fidem moresq; vivendi pertinent, inveniuntur in planis & apertis scripturæ locis. Et Irenæi: Licet multa sunt obscura & parabolica scripturæ loca: regula tamen ipsa veritatis in scripturis in aperto posita est.

## CL XII.

Quapropter cum testimonijs tam ipsius spiritus sancti, cuius instinctu locuti sunt sancti Dei homines, quam orthodoxæ antiquitatis scripturæ Novi Testamenti autoritate & sufficientia abundemus, argumentum papisticum de traditionum non scriptarum supplemento meritissime reprobamus.

F I N I S.



99 A 6902



PA>OC

Retro

VDTA





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Cyan

Blue

Green

Black

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Cyan

Blue

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Cyan